

QUÆSTIO XVIII.

Utrum actus exterior addat aliquid bonitatis vel malitiæ ad actum interiorem.

Alens. 4. p. q. 77. m. 3. art. 3. et 2. p. q. 107. m. 3. art. 2. Scot. 2. d. 42. q. 4. ubi Bassol. Leuchet. Rubion. Tartaret. Rada tom. 2. *Contra* 18. art. Herrera 2. disp. 33. q. 22. Angles 2. dist. 40. q. 1. Glossa c. Si cui de pen. dist. 1. affirmant. Negant D. Thom. 1. 2. q. 20. art. 4. ubi ejus expos. Vasq. 1. 2. 76. c. 2. Assor. tom. 2. l. 2. cap. 6 quæst. 6.

1.
rgum.

Ethic.

Deinde quæritur de comparatione actus intrinseci voluntatis ad actum extrinsecum : Utrum actus exterior addat aliquid bonitatis, vel malitiæ ad actum interiorem. Arguitur quod non, quia quod non habet rationem voluntarii, non habet rationem boni vel mali ; actus autem exterior, ut distinctus ab interiori, non habet rationem voluntarii, quia non habet, quod sit voluntarius nisi ab actu interiori ; igitur actus exterior secundum se non habet bonitatem vel malitiam ; non adderet autem, nisi tale aliquid secundum se haberet, igitur etc.

atio op-
posit.

Contra, quæ præceptis negativis distinctis prohibentur, habent propriam et distinctam rationem illiciti ; nunc autem alio præcepto prohibetur actus exterior, et alio interior, ut patet de istis præceptis : *Non mœchaberis, et non concupisces uxorem*, etc. Et similiter de istis

præceptis : *Non furtum facies, et non concupisces rem proximi*, etc.

SCHOLIUM.

Sensus quæstionis est, utrum quando actus internus, et actus externus circa idem objectum, (v. g. volitio dandi eleemosynam, et ipsa datio) sunt in eodem supposito ; externus addat distinctam bonitatem moralem interno, præter eam, quæ respondet gradibus intensionis, et aliis circumstantiis ipsius.

Ista quæstio (a) habet majorem difficultatem de bonitate actus morali, quia de bonitate actus naturali manifestum videtur, quidquid per illam intelligatur, quod ipsa est alia et alia alterius naturæ. Patet autem, quod alia est natura actus interioris et exterioris, imo isti actus eliciuntur immediate a diversis potentiis ; interior a voluntate, exterior a potentia aliqua exteriori, licet per imperium voluntatis.

Secundo etiam habet difficultatem intelligendo de actu illo et isto, non quando sunt diversi, sive in diversis suppositis, puta, si unus habeat actum interiorem, et alius exteriorem, sive in eodem supposito, puta, si unus nunc solum habeat interio-

COMMENTARIUS.

Desiderium
absentis,
amor præ-
sentis.
Amor per-
fectior de-
siderio.
Interior in-
tenditur
per exte-
riorem.

rem, et alias exteriorem. Sed difficultatem habet de actibus istis, quando sunt conjuncti, puta, quando in eodem ex actu interiori sequitur actus exterior.

Tertio, non est intelligenda quæstio de additione bonitatis et malitiæ secundum intensionem, sed secundum extensionem ; frequenter quidem evenit, quod tam in bonis quam in malis, actus desiderii, qui est respectu absentis, est remissior actu illo, qui est præsentis, quem Augustinus vocat amorem 9. de Trin. ult. dicens, quod *appetitus instantis sit amor fruentis*. Et forte non tantum est actus intensior circa objectum præsens quam circa absens, sed simpliciter alius actus ; sed sive sit idem actus desiderii et amoris, sive alius et alius, saltem actus amoris est perfectior intensive ; quietat enim voluntatem eo modo quo actus desiderii non potest eam quietare ; quando igitur exterior habetur, tunc vel occasionaliter actus interior intenditur. Sed de hoc non quæritur, sed an actus exterior ex se addat bonitatem aliam illi, quæ est in actu interiori.

Est igitur intellectus quæstionis iste, in quo præcipuam habet difficultatem, an actus exterior, quando in eodem est conjunctus interiori, habeat bonitatem moralem propriam distinctam a bonitate actus interioris, ubi sunt tria videnda : Primo, a quo actus habeat bonitatem moralem vel malitiam. Secundo, an ab eodem habeat, quod sit laudabilis, vel vituperabilis sive culpabilis. Tertio, si est alia bonitas, vel laudabilitas tam in actu exteriori quam interiori.

(a) *Ista quæstio.* Primo Doctor declarat quomodo intelligitur titulus quæstionis, et dicit primo, quod non intelligatur de bonitate naturali actus interioris, scilicet voluntatis ; et actus exterioris, id est, potentiæ sensitivæ, quia manifestum est, quia alia est bonitas naturalis actus exterioris, et actus interioris.

Secundo dicit quod non intelligitur quæstio de actu exteriori in uno supposito, et de actu interiori in alio supposito, nec etiam intelligitur de actibus illis in eodem supposito in diversis temporibus, puta si aliquis nunc solum habet interiorem, et alias, sive in alio tempore, habeat exteriorem. Sed intelligitur quæstio de illis actibus, quando sunt conjuncti, puta quando in eodem ex actu interiore, sequitur exterior, ut cum quis vult actu elicito aliquem offendere, stante illo actu elicito, imperat actum exteriorem in potentia sensitiva, quo actu occidit ; licet enim actus occidendi exterior sit posterior actu elicito interiori, tamen dicitur conjunctus interiori ex hoc quod sequitur ad actum elicito interiori.

Tertio titulus quæstionis non est intelligendus de dubitatione bonitatis et malitiæ secundum intensionem, id est, quod non quæritur, an bonitas actus interioris intendatur per actum exteriorem, sed præcise quæritur, an bonitas moralis, vel malitia actus exterioris sit simpliciter alia a bonitate, vel malitia actus interioris, ita quod sint duæ bonitates vel malitiæ illorum actuum ad invicem distinctæ,

1.
Declaratio
tituli quæ-
stionis.

2.

od. 20.
Deut. 3.
alibi.

quia manifestum est quod actus interior, puta dilectio alicujus objecti per actum exteriorem circa illud objectum causaliter, vel occasionaliter intenditur, ut cum quis amat formosam mulierem, per actum exteriorem fornicationis, saltem occasionaliter actus amoris interior intenditur, et ideo titulus quæstionis non intelligitur de bonitate vel malitia actu interioris secundum intensionem, puta quod actus interior sit intensior ex actu exteriore sequente.

SCHOLIUM.

Bonitas moralis est integratio omnium, quæ juxta rectam rationem conveniunt actui vel agenti per ipsum. Hanc conclusionem tradit latius, et explicat i. dist. 17. q. 3. et 2. dist. 7. n. 11. ubi præter entitatem actus, explicat optime triplicem bonitatem moralem ipsi convenientem, objectalem, circumstantialem, et gratuitam seu meritoriam, et d. 40. ubi ex professo de eodem agit. Hic explicat bonitatem duplicem, scilicet essentialem vel absolutam, et accidentalem seu respectivam, et qualiter bonitas naturalis tantum est in agentibus sine intellectu, et moralis in intellectivis tantum.

3. De primo (b), bonitas moralis actus est integritas eorum omnium, quæ recta ratio operantis judicat debere ipsi actui convenire, vel ipsi agenti in suo actu convenire.

Hæc descriptio (c) declaratur: Sicut enim bonitas primaria entis, quæ dicitur bonitas essentialis, quæ est integritas, vel perfectio entis in se, importat positive negationem imperfectionis, per quod excluditur imperfectio et diminutio; sic bonitas entis secundaria (d) quæ est accidentalitatis, sive superveniens entitati, est integritas convenientiæ, vel integra convenientia ejus alteri, cui debet convenire, vel alterius sibi. Et

istæ duæ convenientiæ communiter sunt connexæ.

Exemplum primi, sanitas dicitur bona homini, quia sibi conveniens, et cibus dicitur bonus, quia habet saporem sibi convenientem.

Exemplum utriusque potest haberi ab Augustino 8. de Trin. cap. 3. *Bona* (inquit) *valetudo sine doloribus et lassitudine*; hoc pro primo membro, quia valetudo est bona homini, quia est ei conveniens. Et subdit Augustinus: *Et bona facies hominis dimensa pariliter, et affecta hilariter, et luculenter colorata*; hoc pro secundo membro, quia talis facies dicitur bona, habendo illa, quæ sibi conveniunt. Et est differentia (c), quia illud quidem quod est conveniens alicui, dicitur ei bonum, hoc est, illi perfectio, vel bonitas, sed non dicitur denominative, vel accidentaliter bonum in se. Illud autem, cui aliquid convenit, dicitur denominative bonum, eo quod habet illud quod sibi convenit, et in primo est denominatio (f) quasi formæ a subjecto, sicut anima dicitur humana, sic aliquid dicitur bonum homini, quia bonum humanum, sed in secundo e converso, est denominatio subjecti a forma, cum dicitur, homo est bonus, secundum illud bonum suum; actus autem (g) natus est convenire agenti, et etiam habere aliquam conditionem sibi convenientem; utroque igitur modo habens illam potest dici bonus bonitate accidentali. Et hoc verum est generaliter de actu etiam naturali, et per consequens bonitas ista in habendo illud quod sibi convenit, non tantum est bonitas accidentalitatis, sed naturalis.

Bonum in se et bonum alteri differunt et quomodo.

Additio. (h) *Ista convenientia, vel est a natura extremorum, vel si debeat reduci ad iudicium alicujus intellectus, adhuc est naturalis, quia hoc erit, cum intellectus sit mensura convenientiæ, hoc est, ad iudicium illius intellectus, qui est mensura totius naturæ, qui est intellectus divinus. Iste quidem sicut perfecte cognoscit quodcumque ens, ita perfecte cognoscit convenientiam, vel disconvenientiam unius entis ad alterum.*

4. Quid bonitas naturalis, et quid moralis. Ulterius, aliquod agens (i) de eo quod convenit actui suo, non judicat, nec illud in potestate sua habet, sicut est agens sine intellectu et voluntate; et ibi, vel ex solis causis mere naturalibus determinatur, quid conveniat actui, et ex eis inclinatur agens ad agendum; vel si ultra illud sit iudicium alicujus intellectus, et motio alicujus voluntatis, hoc non est, nisi ipsius Dei, inquantum est universalis director et motor totius naturæ; et ista bonitas in actu agentis sine intellectu, non erit mere naturalis.

Aliud est agens, quod de convenientia sui actus judicat, et illum in potestate sua habet, sicut agens per intellectum et voluntatem, et bonitas secundaria talis actus integra, dicitur bonitas moralis.

Agentia, alia ex cognitione sensitiva, alia ex intellectiva, et in his tantum esse potest bonitas moralis.

Ultra istud iudicium generale de convenientia actus, quod est communiter de actu agentis per cognitionem, sive sine cognitione, sunt aliqua, quæ secundum iudicium speciale agunt ex cognitione intrinseca sibi, et quædam cum cognitione sensitiva tantum, quæ aliquo modo apprehendunt convenientiam objecti, sive judicent de convenientia

actus, sive non, saltem non transcendunt bonitatem naturalem. Alia agunt ex cognitione intellectiva, quæ proprie sola est judicativa de tali convenientia, et talia nata sunt habere regulam intrinsecam rectitudinis in suo actu, et in solis istis potest esse actus bonus habens bonitatem moralem, sed non sufficit ad illam, quod in agente sit potentia judicativa de convenientia sui actus, sed oportet, quod actu recte judicet de actu, et secundum illud iudicium actus fiat. Si enim cognitio propria sit erronea, licet agatur conformiter cognitioni rectæ alterius cognoscentis, quia tamen tale agens natum est regulari in suo actu per propriam cognitionem, et secundum illam non agit, sed contra illam, ideo non recte agit.

Ad bonitatem moralem requiritur actualis conformitas ad proprium iudicium rectum.

Consimiliter talem actum elicit, qualem habet in sua potestate; habet autem in potestate sua talem actum qualem cognoscit et elicit, quia potestas liberi arbitrii, vel formaliter, vel concomitanter existit in cognitione et electione. Sic igitur patet, qualiter bonitas moralis actus est convenientia iudicata secundum rectam rationem operantis.

Quod autem addebatur (k), *omnium eorum, quæ debent convenire actui*, sic declaratur: Omne iudicium incipit ab aliquo certo. Primum iudicium de convenientia non potest præsupponere aliquam convenientiam dictatam ab alio intellectu, quia tunc non esset primum. Præsupponitur igitur aliquod certum, et non ab illo intellectu iudicatum, et hujusmodi est natura agentis, et potentia, secundum quam agit, et ratio quidditativa actus. Ex ratione enim

Ex quibus iudicatur de convenientia actus.

landi habet bonitatem aliquam sibi intrinsicam, tunc talis actus erit bonus denominative tali bonitate, ita quod ibi erit denominatio subjecti a forma. Et hoc est quod supra dixit, quod istæ duæ convenientiæ virtualiter sunt connexæ, et præcipue in actu morali, qui dicitur bonus, quia conveniens alteri, et dicitur bonus, qui habet aliquam bonitatem intrinsicam, qua formaliter dicitur bonus. Et non tantum istæ duæ convenientiæ sunt connexæ in actu morali, sed et sunt generaliter connexæ in actu naturali, etc. Vult dicere quod actus non tantum dicitur bonus bonitate accidentali sibi inhærente, qualis est bonitas moralis, quæ est rectitudo actus sibi conveniens, sed etiam bonitate naturali sibi conveniente. Exemplum, actus dilectionis potest intelligi habere duplicem bonitatem, videlicet naturalem et accidentalem; nam dilectio, ut est quidditative ens, habet bonitatem suam, sive perfectionem essentialem sibi convenientem, puta, quia est talis entitas, sive talis qualitas; et hæc dicitur bonitas naturalis, sive essentialis, quæ nihil aliud est nisi perfectio quidditativa actus; potest etiam habere bonitatem accidentalem, puta rectitudinem, quæ est bonitas moralis.

4. (h) *Ista convenientia.* Nunc Doctor declarat quomodo bonitas essentialis dicatur convenire, et dicit quod *ista convenientia* bonitatis essentialis alicui, *vel est ex natura extremorum*, puta comparando lapidem ad hominem, quia lapis habet talem bonitatem essentialem sibi convenientem, et homo qui homo habet præcise talem bonitatem essentialem sibi convenientem, et hoc est quod dicit, *ex natura extremo-*

rum. Vel si talis convenientia bonitatis essentialis, puta, quod talis bonitas convenit uni et talis alteri, debeat reduci ad iudicium alicujus intellectus, adhuc erit convenientia naturalis, puta si aliquis actu judicet lapidi talem bonitatem essentialem esse convenientem, et talem homini, adhuc talis convenientia bonitatis essentialis erit naturalis, patet, *quia hoc præcise erit cum intellectus sit mensura convenientiæ, hoc est, ad iudicium illius intellectus, qui est mensura totius naturæ*, scilicet intellectus divinus, etc. et quia perfecte cognoscit Socratem convenire cum Joanne in tali perfectione vel bonitate essentiali, et in tali bonitate discordare ab asino, ideo perfecte judicat talem bonitatem essentialem esse convenientem Socrati et Joanni, et esse disconvenientem asino.

(i) *Ulterius aliquod agens.* In ista littera usque ibi, *sicut igitur patet*, plura dicit Doctor. Primo, quod est aliquod agens, quod nullo modo judicat de actu suo, an scilicet conveniat sibi, an alteri sit sibi conveniens, nec illum habet in potestate sua, ut sunt omnia agentia sine cognitione, tam intellectiva quam sensitiva; talia enim agentia nullum penitus iudicium habent, sed in actibus suis, vel ex solo impetu naturæ regulantur, et agunt propter finem; vel regulantur a prima regula omnium, quæ est Deus, et hoc magis videtur, ut patet a Doctore in 1. d. 2. q. 1. in prima ratione, qua

Prima regula omnium est Deus.

Secundo, sunt alia agentia, quæ tantum agunt per cognitionem sensitivam, et talia sive habeant iudicium de suis actibus, an scilicet sint sibi convenientes, sive non, tamen illi

actus, cum non sint in potestate talium agentium, ultra bonitatem naturalem nullam aliam videntur habere, ut patet de visione elicit a sola potentia visiva, quæ præter bonitatem naturalem sibi convenientem, puta, quod est præcise talis entitas nullam aliam videtur habere, et dico *ut tantum elicit a potentia sensitiva*, quia si esset elicit a tali potentia ex imperio voluntatis, posset habere bonitatem vel malitiam moralem, ut infra patebit art. 3. et patuit supra in prolog. q. ult. et in 2. d. 42. et in 3. d. 33.

Agentia per cognitionem sensitivam.

5. Tertio, sunt alia agentia, scilicet per intellectum et voluntatem, quæ habent actus suos in potestate sua, ita quod contingenter possunt illos elicere et non elicere. Talia agentia possunt per intellectum judicare de convenientia actus, et non tantum de convenientia primo modo supradicta, an scilicet illi actus sint boni, quia conveniunt tali agenti, sicut valetudo est bona, quia conveniens homini, sed etiam de convenientia secunda, quod est integritas conveniens actui, qua convenientia dicuntur formaliter boni, sicut facies dicitur formaliter pulchra, quia habet circumstantias sibi convenientes; talia ergo agentia nata sunt habere regulam intrinsicam rectitudinis in suo actu; et illa est potentia intellectiva, quæ judicat de actu suo, et de actibus aliarum potentiarum, ut supra patuit quæst. ult. prologi, et in solis istis agentibus potest esse actus bonus habens bonitatem moralem, sed non sufficit ad illam, scilicet bonitatem moralem, quod in agente sit potentia judicativa de convenientia sui actus, sed oportet quod actu recte judicet de actu, et secundum illum rectum iudicium actus fiat. Vult

Agentia per intellectum et voluntatem.

dicere, quod non sufficit ad bonitatem moralem actus, quod quis habeat potentiam judicativam, patet, quia habens talem potentiam si actu haberet cognitionem erroneam, et eliceret actum conformiter illi cognitioni, ille actus non esset rectus, et tamen haberet potentiam judicativam; si etiam haberet cognitionem rectam, et non erroneam, et actu non eliceret actum conformiter tali cognitioni, adhuc actus non esset rectus. Ad rectitudinem ergo actus requiritur quod conformiter eliciatur dictamini recto, sive cognitioni recte actu, et formaliter dictanti, non tantum de actu eliciendo, sed de omni circumstantia requisita; et talis cognitio dicitur vere practica, de qua prolixè dictum est in prologo q. ult. et in primo, dist. 17. Consimiliter tale agens per intellectum et voluntatem talem actum elicit qualem habet in sua potestate. Habet autem in potestate sua talem actum qualem cognoscit et elicit, quia potestas liberi arbitrii, vel formaliter, vel concomitanter consistit in cognitione et electione, de quo libero arbitrio alias patebit. Sic igitur patet quomodo bonitas moralis actus est convenientia judicativa secundum rectam operationem operantis, de qua convenientia actus moralis, vide quæ prolixè pertractat Doctor in primo, distinct. 17.

(k) *Quod autem addebatur.* Nunc Doctor declarat quæ sunt circumstantiæ necessario requisitæ ad bonitatem moralem actus, et primo præmittit unum, antequam declaret circumstantiam objecti vel finis, etc. Et dicit, quod *omne iudicium incipit ab aliquo certo. Primum iudicium de convenientia, non potest præsupponere aliquam convenientiam dictatam ab illo*

6.

istorum quidditativa concludit, hunc actum esse convenientem huic agenti secundum istam potentiam, vel disconvenientem, nullo præsupposito, nisi rationibus istorum terminorum, sicut ex ratione hominis, et potentiæ intellectivæ, et actus intelligendi, patet, quod convenit homini per intellectum intelligere; patet etiam, quod non convenit sibi per intellectum tangere, cognita ratione illius actus, qui est *tangere*. Similiter patet ex rationibus naturæ, potentiæ, et actus, quare bruto non convenit intelligere, vel magis proprie, sibi repugnat intelligere; in isto quidem primo iudicio, quod præcise accipitur ex natura operantis, et potentiæ operativæ, et ipsius actus non est inconvenientia, hoc est, indebita, sive inordinata connexio, sed disconvenientia, hoc est, impossibilitas absolute conveniendi.

COMMENTARIUS.

2. Quid sit bonitas moralis.

(b) *De primo.* Hic Doctor declarat, primo quid sit bonitas moralis, ut per hoc cognoscatur quid sit malitia ei opposita; et secundo declarat a quo actus habeat bonitatem moralem vel malitiam ei oppositam. Et licet iste articulus primus sit satis clarus hic, et specialiter ex his quæ dicit Doctor in prologo, quæst. ult. et dist. 17. primi, et in secundo, dist. 7. 40. et 42. et in tertio, dist. 33. et 36. et in 4. dist. 14. et vide quæ ibi exposui, præsertim in quæst. ultima prologi, et dist. 7. secundi, tamen propter inexpertos in via Doctoris expono hunc articulum. Dicit ergo primo, quod *bonitas moralis*

actus est integritas eorum omnium, quæ recta ratio operantis iudicat debere ipsi actui convenire, vel ipsi agenti in suo actu convenire, id est, quod tunc actus dicitur bonus moraliter, quando sic elicitur, vel imperatur a voluntate, sicut recta ratio dictat esse elicendum, sic quod actus dicatur bonus moraliter, vel quia habet omnes circumstantias, quas recta ratio iudicat actui convenire; vel dicitur bonus moraliter, quando agens elicit actum secundum omnes circumstantias, quos recta ratio ipsius agentis iudicat convenire ipsi agenti in suo actu, id est, in eliciendo ipsum actum.

(c) *Hæc descriptio declaratur.* Hic Doctor declarat bonitatem entis, sive entitativam, quæ dicitur bonitas essentialis, et non accipitur hic bonitas entis, sive entitativa, prout est passio entis, sed accipitur pro perfectione essentiali entis in se, ita quod talis bonitas essentialis, sive perfectio, quæ est integritas vel perfectio essentialis entis in se importet positive negationem imperfectionis, per quod excluditur imperfectio et diminutio, id est, quod bonitas essentialis, loquendo de bonitate perfecta entis, importat entitatem positivam perfectam, ad quam concomitantur sequitur negatio imperfectionis, sicut bonitas essentialis primi entis dicit positive entitatem perfectam, ad quam concomitatur negatio omnis imperfectionis, nam negatio imperfectionis non potest necessario alicui inesse, nisi propter entitatem positivam, ut supra patuit in primo, dist. 3. quæst. 1. vide quæ ibi exposui.

(d) *Sic bonitas entis secundaria, quæ est superveniens entitati essentiali, est integritas convenientiæ, vel integra convenientia ejus, cui debet convenire, vel*

Declaratio bonitatis moralis.

Exemplum.

alterius sibi, et istæ duæ convenientiæ connexæ communiter sunt, scilicet, quando integra convenientia convenit illi, cui debet convenire, sicut patet de sanitate, quæ dicitur bona homini, quia sibi convenientia; et eibus dicitur bonus, quia habet saporem sibi convenientem, et ideo bonitas cibi est convenientis saporis ad cibum, ita quod prima dicitur sanitas bona homini, quia convenientis sibi, et similiter sapor dicitur bonus cibo, quia sibi convenit, ita quod eibus dicitur denominative bonus, quia habet saporem sibi convenientem, et hæc integra convenientia dicitur convenientia ejus alteri, cui debet convenire, secunda convenientia alterius sibi, ut patet ibi. *Exemplum utriusque potest haberi ab Augustino*, 8. de Trin. cap. 3. et 8. *Bona*, inquit, *valetudo sine doloribus et lassitudine*; hoc pro prima convenientia, quia valetudo est bona homini, quia est ei convenientis, et subdit, *et bona facies hominis dimensa pariter, et affecta hilariter, et luculenter colorata*; hoc pro secundo. Unde non dicitur hic bona facies hominis, quia convenientis homini, sed dicitur in se bona facies, quæ habet omnia convenientia ad bonam faciem, et hoc est quod dicit, *vel alterius sibi*. Si enim diceretur bona facies hominis, quia convenientis homini, cui debet convenire, hæc esset prima convenientia, sed quia dicitur bona facies in se, non quia alteri convenit, sed quia convenientia faciei conveniunt sibi, dicitur secunda convenientia, quia talis facies dicitur bona habendo illa quæ sibi conveniunt.

3. Differentia inter primam integritatem et secundam.

(e) *Et est differentia.* Hic Doctor declarat aliqualem differentiam inter primam integritatem, sive convenientiam

tiam integram et secundam. De prima, quia *illud quod est convenientis alicui, dicitur ei bonum, hoc est illi perfectio, vel bonitas, sed non dicitur denominative, vel accidentaliter bonum in se*. Patet, cum enim dicitur valetudo est bona homini, quia convenientis homini, non dicitur valetudo bona in se formaliter, sicut accipitur in secundo membro. Unde de secundo membro dicit: *Illud autem cui aliquid convenit, dicitur denominative bonum, eo quod habet illud quod sibi convenit*, sicut facies hominis dicitur in se denominative bona, quia habet omnia convenientia faciei.

(f) *Et in primo est denominatio quasi formæ a subjecto.* Patet, quia valetudo denominatur bona, quia convenientis tali subjecto, puta homini, sicut anima dicitur humana ex hoc quod convenit homini, sic aliquid dicitur bonum homini, quia bonum humanum, et sic valetudo hominis dicitur bonum humanum, quia convenientis homini. *Sed in secundo membro a converso est denominatio subjecti a forma, ut cum dicitur facies bona, quia integritas faciei, sive integra convenientia quæ est bonitas faciei, denominat ipsam faciem, et similiter cum dicitur homo est bonus, secundum illud bonum suum*, puta, quando habet bonitatem dicitur bonus, ita quod est ibi denominatio subjecti a forma bonitatis.

(g) *Actus autem natus est convenire agenti, etc.* Hic Doctor declarat quomodo actus potest dici bonus dupliciter, et quia est convenientis homini, puta actus debellandi hostem dicitur bonus, quia convenientis homini debellanti, et sic denominatur bonus, quasi a subjecto, quia ideo bonus, quia convenientis tali subjecto, et si actus debel-

arritatem et secundam.

Actus potest dici bonus dupliciter.

intellectu, quia tunc non esset primum iudicium practicum. Si enim prima convenientia actus dicitur esse primo dictata ab illo intellectu, et dicitur prima convenientia dictata a primo iudicio intellectus dictante, si esset alia convenientia prior dictata, illa non esset, nisi a priori iudicio dictante, et sic primum iudicium non esset primum. Dicit ergo, quod primum iudicium de convenientia actus, antequam iudicet de tali convenientia, præsupponit aliquod certum a tali potentia iudicativa, nam iudicatum, et illud certum est natura agentis, et potentia agendi qua agit, et ratio quidditativa actus; si enim intellectus vult iudicare, an aliqua volitio sit convenientis voluntati, necesse est prius ipsum cognoscere naturam ipsius agentis, et potentiam volitivam, et actum volendi, nisi enim ista cognosceret non posset aliquo modo iudicare an actus conveniat tali agentis, sicut quis non potest iudicare voluntatem esse convenientem homini, nisi præcognoscat tam hominem quam voluntatem; sed præcognitis natura operantis, et potentia elicientis, et ratione quidditativa actus ex ratione quidditativa istorum præcognita concluditur hunc actum, puta volitionem esse convenientem huic agentis, scilicet homini secundum istam potentiam, scilicet volitivam.

SCHOLIUM.

Explicat optime, unde sumitur convenientia objecti, tali actui, et tali agentis, ex natura agentis, actus et objecti. Item bonitatem ex objecto dici ex genere, quia est potentialis respectu aliarum bonitatum supervenientium, quarum prima est circumstantia finis, cui succedunt aliæ circumstantiæ, hoc versu contentæ: *Quis, quibus auxiliis, quid, ubi, cur,*

quomodo, quando. De quibus Greg. Nyssen. 5. Philos. cap. 1. Arist. 3. Ethic. c. 1. D. Thom. 1. 2. q. 7. art. 3. vide Doctorem, 2. dist. 40. et aliis locis citatis. Explicat D. Dionysii celebre dictum: *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu*; ac etiam quomodo malitia duplex est, privativa et contraria, de quo 2. dist. 7. n. 12. Ponitur additio huc spectans ad n. 4.

Uterius (l) ex rationibus istorum 6. trium concludi potest quid sit objectum conveniens tali actui, ut est talis agentis, puta de actu comedendi, quod convenienter transeat super cibum restaurativum deperditi, non autem super illud, quod non est natum esse nutrimentum, sicut lapis, vel aliquid huiusmodi, quod licet alii animali esset nutrimentum, non tamen homini. Ista determinatio objecti est prima determinatio quæ pertinet ad genus moris, non tanquam differentia determinans ad aliquid in illo genere, sed tanquam potentiale receptivum determinationis moralis, quia quando actus habens objectum conveniens agentis et actioni, tunc est capax determinationis moralis, secundum circumstantias ordinatas, propter quod dicitur ex objecto, actus habere bonitatem ex genere, quia sicut genus est potentiale respectu differentiarum, sic bonitas ex objecto est prima in genere moris, præsupponens solam bonitatem naturæ, et capax omnis bonitatis specificæ in genere moris.

In ista autem bonitate specifica (m), quæ dicitur bonitas ex circumstantia, talis est processus: Prima bonitas videtur esse circumstantia finis, quia ex natura agentis, et actionis et objecti, statim concluditur quod talis actus non debet

6. Unde constat objectum esse conveniens.

Bonitas ex objecto quare dicitur ex genere.

Prima bonitas ex fine.

3. et inde. Text. 17. et 20.

7.

competere tali, nisi in ordine ad talem finem, et debet eligi et appeti propter finem talem; et ista circumstantia non est ipsius actus, ut in esse reali positi, vel non positi præcise sic; sed est ipsius actus ut voliti, et per actum voluntatis ad talem finem relati, imo, non minus est electio bona, quæ sit propter finem debitum, esto quod per actum illum elicited extra non attingatur finis electionis, quam si attingeretur. Post circumstantiam finis videtur sequi circumstantia modi agendi, quæ concluditur ex omnibus prædictis, vel aliquibus eorum, talis vel talis debere esse.

Postea concludi potest de tempore, quia tali agenti talis actio propter talem finem, etiam talem habens modum non debet semper convenire, sed pro tempore, pro quo ordinabilis est ad talem finem, vel pro quo potest talem finem habere.

Ultima autem omnium videtur circumstantia loci, imo multi sunt actus, quorum etiam bonitas completa moralis non determinat locum.

Sic igitur patet de pluralitate eorum, quæ recta ratio dictat debere convenire actui, quia ad hoc, ut sit perfecte bonus, debet habere, secundum descriptionem jam positam, omnium istorum integritatem. Unde Dionysius de Divin. nom. parte 4. *Bonum est ex una, et tota causa, malum autem ex particularibus defectibus*; tota, inquit, causa hoc est, integra ex omnibus circumstantiis.

Contra, (n) circumstantiæ sunt relationes, et bonum est qualitas 10.

Ethic. virtus etiam est qualitas in Prædicamentis.

Respondeo 7. Phys. *Virtus omnis et malitia ad aliquid sunt*; actus igitur esse bonos vel virtuosos, importat relationem, vel multas relationes; sed tamen habet modum denominandi, vel prædicandi qualitatis, sicut sanum et pulchrum, et communiter ita est de quarta specie Qualitatis.

(o) Juxta secundam partem auctoritatis Dionysii, videndum est unde actus habeat malitiam moralem: Uno modo potest malitia opponi privative bonitati in actu; alio modo contrarie, sicut etiam homo dicitur malus contrarie quando habet habitum vitiosum, qui est habitus quidem positivus, licet cum privatione perfectionis debitæ; alio modo dicitur malus privative tantum, scilicet quia caret bonitate, quam deberet habere, licet non habeat habitum vitiosum contrarium positivum.

Distinctio ista potest haberi a Boetio super Prædicamenta, exponendo primam proprietatem qualitatis: *Dicitur* (inquit) *justitiæ in justitiam non esse contrariam. Putant enim injustitiam privationem esse justitiæ, non contrarietatem.* Et subdit hoc reprobando: *Multæ habitudines privationis vocabulo proferuntur, ut illiberalitas atque imprudentia, quæ nunquam virtutibus opponerentur, quæ sunt habitus, nisi ipsæ quoque habitus essent.*

Per rationem apparet ista distinctio, potest enim aliquis agere non cum circumstantia debita, et tamen non cum circumstantia indebita, puta quando non ordinat actum ad

Circumstantiæ quomodo sunt relationes.

7

Malitia contraria quando opponit malam circumstantiam privativam, quando

deest de-
bita.

finem debitum, nec tamen ipsum ordinat ad finem indebitum; tunc ille actus est malus privative, non contrarie, sicut ille qui ordinatur ad finem indebitum, et ex multis talibus actibus generatur habitus consimilis in malitia, scilicet privativa, non contraria. Exemplum hujus, dare eleemosynam non propter finem bonum, scilicet amorem Dei, vel subventionem proximi, non tamen propter malum finem, puta vanam gloriam, vel nocumentum alicujus, est actus malus privative, non tamen contrarie.

8. De malitia privativa loquitur Dionysius, quod quicumque defectus particularis cujuscumque circumstantiæ necessario requisitæ reddit actum sic malum, sed malus contrarie non est, nisi habeat circumstantiam positivam habentem aliquam deformitatem.

Breviter igitur, sicut bonitas moralis est integra convenientia, sic malitia moralis est inconvenientia, et malitia quidem privativa inconvenientia privativa, hoc est, carentia convenientiæ debitæ; malitia autem contraria est inconvenientia contraria. Hæc est conditio aliqua repugnans convenientiæ.

Plures bonitates in uno actu.

(p) Ex dictis sequitur corollarium quod in eodem actu substrato potest esse multiplex bonitas moralis, quia idem actus potest esse recte circumstantionatus, non solum multis circumstantiis particularibus, quæ non sunt multæ bonitates, sed integram unam bonitatem; sed etiam potest idem actus esse circumstantionatus complete omnibus circumstantiis pertinentibus ad unam virtutem, et etiam omnibus pertinentibus

ad aliam virtutem, et ita secundum dictamina diversa perfecta prudentiæ, respectu multorum finium priorum. Exemplum, vado ad Ecclesiam ex justitia, quia teneor per obedientiam, vel ex voto; vado etiam ex charitate ad Deum, ut orem, vel ut exhibeam Deo cultum patriæ; et vado etiam ex charitate fraterna, ut ædificem proximum. Et breviter in quocumque actu, sive bono tantum bonitate morali, sive ultra bonitate meritoria, quanto concurrunt plura motiva ordinata agendi, tanto melior est.

Vide 10.
Ethic. c. 10.

Consimiliter in eodem actu possunt concurrere multæ malitiæ, tot quidem, quot sunt dictamina de oppositis, quæ deberent inesse.

Nota quod ultra naturalem bonitatem volitionis, quæ competit sibi inquantum ens, quæ etiam competit cuilibet enti positivo, secundum differentiam suæ entitatis majus et minus, præter illam est triplex bonitas moralis secundum gradus se habens.

Additio.

Prima dicitur bonitas ex genere, quæ competit volitioni, ex hoc quod transit super objectum conveniens actui tali, secundum dictamen rectæ rationis, et non solum, quia conveniens actui tali naturaliter, sicut sol visioni; et hæc est prima bonitas moralis, quæ ideo potest dici ex genere, quia quasi materialis respectu omnis bonitatis posterioris sive ulterioris in genere moris; nam actus transiens super objectum conveniens est quasi formabilis per quamcumque aliam circumstantiam moralem, et ita quasi potentiale, non omnino sic extra genus moris sicut fuit ipse actus in genere naturæ, sed in genere moris, quia jam habet aliquid de illo genere, puta objectum debitum actui.

Bonitas
virtuosa
quid?

Secunda potest dici bonitas virtuosa, sive ex circumstantia, quæ competit volitioni ex hoc, quod ipsa elicitur a voluntate cum omnibus circumstantiis dictatis a recta ratione debere sibi competere in eliciendo ipsam; bonum enim est ex causa integra secundum Diony. 4. de div. nom. Et illud est quasi in specie moris bonum, quia jam habet omnes differentias morales contrahentes bonum ex genere.

Tertia vero bonitas potest dici meritoria, sive gratuita in acceptione divina, in ordine ad præmium, quæ convenit actui, ex hoc quod præsupposita duplici bonitate, jam dicta elicitur conformiter principio merendi, quod est gratia vel charitas. Exemplum primi, dare eleemosynam pauperi, qui eget, et in loco, quo potest sibi competere propter amorem Dei. Exemplum tertii, illud opus facere, non tantum ex inclinatione naturali, sicut potuit fieri in statu innocentiae, et forte posset modo fieri a peccatore, si adhuc peccator existens, et non pœnitens ex pietate naturali moveretur ad proximum, sed tantum ex charitate, ex qua faciens est amicus Dei, inquantum respicit opera ejus; hæc triplex bonitas est ordinata, ita quod prima præsupponitur secundæ, secunda tertiæ, et non e converso. Huic triplici bonitati correspondet triplex malitia: Prima siquidem est malitia ex genere, quando scilicet actus qui tantum habet bonitatem naturæ ex primo, ex quo debet constitui in genere moris, habet malitiam, quia transit super objectum disconveniens, puta si odire transit super Deum. Secunda autem malitia ex aliqua est circumstantia deordinante actum, licet habeat objectum conveniens. Tertia demeritoria.

Triplex bonitas dicta est ordinata.

Triplex malitia opposita triplici bonitati, de his 2. d. 7. n. 2. 12.

COMMENTARIUS.

(l) Ulterius ex rationibus istorum trium. Deinde Doctor declarat quomodo intellectus judicat de circumstantiis actus convenientibus, puta de circumstantia objecti finis, modi, temporis et loci, et dicit quod habita cognitione operantis et potentiæ, secundum quam quis operatur, et ipsius operationis, sive actus, primo judicat de circumstantia objecti, quæ est prima circumstantia requisita ad actum moralem. Habita enim cognitione, puta actus sic comedendi, et agentis, cui convenit sic comedere, et potentiæ, secundum quam inest actus comedendi, statim judicat quod talis actus comedendi convenienter transit super cibum restaurativum deperditi, etc. et hæc est prima circumstantia actus, sic quod actus transeat super objectum conveniens, et hoc secundum dictamen rationis. Aliter talis convenientia objecti non diceretur pertinere ad bonitatem moralem, ut patet a Doctore in secundo, dist. 7. Sequitur: Ista determinatio objecti est prima determinatio, quæ pertinet ad genus moris, non tanquam differentia determinans aliquid in illo genere, scilicet moris, sed tanquam potentiale receptivum determinationis moris. Actus enim dicitur bonus ex genere ex hoc solo quod transit super objectum conveniens secundum judicium rationis, ita quod tale objectum sic conveniens, non est aliqua differentia determinans aliquid in genere moris, quia est simpliciter primum præsuppositum, et potentiale respectu aliarum circumstantiarum, ita quod nisi

7.

Nota.

Actus quomodo dicitur bonus ex genere.

actus transiret super objectum conveniens, nullo modo esset capax alijus circumstantiæ moralis, puta finis, etc. Sicut si actus diligendi haberet pro objecto malum culpæ, talis actus nunquam posset esse bonus moraliter, quia bonitas moralis necessario præsupponit actum esse bonum ex genere, sive habere objectum conveniens; non enim dilectio secundum rectam rationem nata est transire super malum culpæ, quia malum non est diligibile, cum sit privatio boni.

8.

(m) *In ista autem bonitate specifica*, etc. Et patet littera, de aliis circumstantiis, scilicet modi, temporis et loci, licet Doctor in 2. dist. 40. ubi etiam prolixè enumerat circumstantias morales, ponat circumstantiam causæ efficientis, ut scilicet actus eliciatur libere, de qua vide ibi.

(n) *Contra*. Hic Doctor arguit probando quod hujusmodi circumstantiæ non pertineant ad bonitatem moralem; patet, quia bonum est qualitas ex 10. Eth. Virtus etiam est qualitas, ut patet in Prædicamentis, sed circumstantiæ sunt tantum relationes; ergo non pertinent ad bonum morale.

Respondet Doctor quod secundum Philosophum, 7. Phys. t. c. 17. virtus omnis et malitia ad aliquid sunt, et per consequens actum esse virtuosum, vel moralem importat relationem, vel plures relationes. Dicit enim formaliter conformitatem ad rationem rectam, sive ad dictamen rectum, ita quod circumscripta tali conformitate actus non esset bonus moraliter, et de hoc clarius vide Doctorem in 1. d. 17. et hoc modo actus vere moralis non est qualitas absoluta, sed dicitur qualitas a Philosopho,

pro quanto habet modum denominandi vel prædicandi Qualitatis, sicut sanum vel pulchrum. Sed an habitus vel actus moralis sit quidditative relatio, vel tantum denominative, vide Doctorem in primo, dist. 17.

(o) *Juxta secundam partem auctoritatis Dionysii*. Auctoritas Dionysii de div. nom. est quod *bonum est ex una, et tota causa*, id est, quod bonum morale est ex causa integra ex omnibus circumstantiis, et hæc est prima pars auctoritatis. Sequitur secunda pars: *Malum autem est ex particularibus defectibus*, puta ex carentia circumstantiæ debitæ, vel ex positione malæ circumstantiæ. Et hoc declarat Doctor, et dicit, quod actus uno modo dicitur malus moraliter malitia opposita privative bonitati in actu. Exemplum, si actus caret aliqua circumstantia morali, quam natus est habere, dicitur malus privative, quæ privatio circumstantiæ opponitur privative circumstantiæ actuali debitæ. Alio modo dicitur malus contrarie, et hoc est quando non tantum caret circumstantia debita, sed includit positive circumstantiam malam. Nam sicut dare eleemosynam amore Dei cum aliis circumstantiis est bonus actus moraliter, sic dare eleemosynam personæ indigenti, non ordinando illam ad debitum finem, est malus privative, quia est ibi privatio debiti finis. Dare vero tantum propter libidinem, ut propter finem, talis actus est malus contrarie, quia includit circumstantiam finis mali, quæ suo modo contrarie opponitur circumstantiæ finis debiti. Et de istis malitiis privative et contrarie, vide Doctorem in 2. dist. 7. et quæ ibi exposui.

(p) *Ex dictis* de bonitate morali, 9.

Exemplum

Actus malus contrarie.

Actus malus moraliter.

Actus malus contrarie quid.

In eodem actu substrato potest esse multiplex bonitas.

sequitur corollarie, quod in eodem actu substrato potest esse multiplex bonitas moralis, nam quilibet habitus virtutis habet intelligere propriam prudentiam, quæ est quoddam dictamen rectum, sive cognitio practica, dictans de actu talis virtutis, ita quot sunt virtutes specie distinctæ in voluntate, tot possunt esse habitus prudentiæ specie distincti in intellectu dictantis de actibus illarum virtutum, ex quibus habitibus prudentiæ generatur prudentia in homine, scilicet habitus generalis prudentiæ communis omni habitui prudentiæ, et de hoc vide Doctorem in primo, dist. 17. Dicit ergo Doctor quod idem actus potest elici a voluntate secundum inclinationem plurium virtutum, quæ virtutes inclinant ad illum actum eliciendum, ut conformiter se habent suis dictaminibus propriis, et sic unum dictamen potest dictari de tali fine, et aliud de alio fine, et sic de aliis, ita et idem actus potest elici a voluntate, ordinando illum ad fines sic dictatos, secundum quod alia et alia virtus inclinat. Exemplum: *Vado ad Ecclesiam ex justitia*, etc. et sic patet quomodo idem actus est elicitus ad alium et alium finem, secundum quod alia et alia virtus inclinat. De istis habitibus virtuosus, quomodo simul possunt concurrere ad eundem actum, vide Doctorem in quarto, dist. 14. quæst. 2.

SCHOLIUM.

Explicat bene et clare, imputabile id dici, quod est in potestate voluntatis, mediate vel immediate, in quo sunt duo respectus; unus ad dominium voluntatis, alter ad pœnam vel præmium. Ponit duas differentias claras inter imputabile primum, seu actum voluntatis elici-

lum, et imputabile secundum, id est, actum cujuscumque alterius potentie imperatum a voluntate.

De secundo principali dico (a) 9. quod laudabile et vituperabile, imo generalius, præmiabile et punibile continentur sub hoc communi, quod est *imputabile*, et illius communis est una ratio, hæc, scilicet actum esse in libera potestate agentis, et licet ad istam potestatem concurrant intellectus, et voluntas, tamen illa indifferentia, qua posset non fieri illud quod fit, et posset fieri illud quod non fit, intelligendo divisim, non conjunctim, in sensu, scilicet divisionis, non compositionis, ista, inquam, indifferentia vel indeterminatio ad alteram partem, non potest complete reduci nisi in ipsam voluntatem, quia quæcumque alia potentia activa est naturaliter activa, et ita determinate unius, quantum est de se; unius, inquam partis contradictionis, ita quod licet sit indeterminata activa respectu multorum disparatorum, sicut Sol est causa multorum effectuum hic inferius, tamen loquendo de quacumque una contradictione, causa quæcumque talis est determinata ad unam partem, puta Sol ad generandum herbam hanc determinate, et hunc vermem, et sic de aliis. Voluntas autem sola habet indifferentiam ad contradictoria, et talem, quod ipsa est sui determinativa ad alterum eorum, ex 9. Met. c. 4. aliter simul ageret contraria. Propter hoc igitur, quod actus ejus sic indifferenter est in ejus potestate, licet non nisi supposita intellectione, ideo per se est imputabilis agentis.

Imputabile quod subest voluntati liberæ.

Omnis causa naturalis determinata est ad alteram partem contradictionis. Text. 10.

Unde secundo *de libero arbitrio*. dicit Augustinus: *Satis compertum est, etc. motus, si culpæ deputatur, non est naturalis, sed voluntarius.* Et

discipulus.

post verba discipuli: *Motus, quo voluntas convertitur, nisi esset voluntarius, et in nostra potestate positus, neque laudandus esset homo, neque culpandus*, ut supra in quæstione de necessitate naturali in voluntate; *imputabile* igitur duos respectus importat. Unum ad potestatem, vel dominium agentis, et alium ad aliquid correspondens actui, vel agentis secundum iustitiam, et hoc propter ipsum actum, et secundum sequitur ad primum, quia enim iste est dominus sui actus, ideo actui et agentis debetur aliquid propter actum. Primus respectus manet non variatus per se in actu bono, vel malo; secundus autem variatur, non quidem formaliter secundum bonum, vel malum, sed præsupposita differentia boni vel mali, quæ attenditur secundum convenientiam, vel disconvenientiam aliquam dictam in primo articulo, variatur penes aliqua correspondentia isti et illi. Bonum quippe sic est imputabile, quod ad laudem vel præmium; malum autem sic, quod ad vituperium, vel pœnam. Actus autem neuter, sive indifferens, dum tamen sit in potestate agentis, imputatur, velut quodammodo vituperabilis, quia poterat ordinate agere, vel saltem, ut non laudabilis, et hoc propter defectum ejus, qui potuit laudabiliter egisse.

10.

Ex hoc patet (b) quod non ab eodem formaliter est actus bonus bonitate morali, et imputabilis, sed primum habet ex convenientia ad

regulam, juxta quam debet elici; secundum ex eo, quod est in libera potestate agentis. Laudabile autem et vituperabile ambo ista important, quia et licet formaliter dicant hoc, quod est imputabile, cum determinatione illius ad quod est imputabile, tamen materialiter connotant illud, propter quod ipsum est ad hoc imputabile scilicet bonitatem vel malitiam, propter quas ad pœnam vel præmium imputandum est.

(c) De *imputabili* tamen distinguere potest, quod uno modo propriissime accipiendo, illud potest dici *imputabile*, quod est immediate in potestate voluntatis, et sic solum *velle* est imputabile, quia ipsum solum est immediate in potestate libera voluntatis. Alio modo imputabile potest dici quidquid est simpliciter in potestate voluntatis, licet non immediate. Et sic actus alterius potentiae, quem voluntas mediante actu suo volendi potest imperare, ut eliciatur, vel impedire ne eliciatur, est imputabilis voluntati, quia tota coordinatio usque ad illum actum, etiam includendo istum actum est in potestate voluntatis.

Et est differentia secunda inter imputabile primo modo et secundo: Una, quia ad imputabile primo modo non requiritur, nisi ipsa potentia voluntatis, et illud quod requiritur propter actum ejus, cuiusmodi est intelligere. Et ratio est, quia illud est immediate effectus voluntatis, et de hoc potest accipi illud primo *Retract.* cap. 9. *Nihil est tam in potestate voluntatis, quam ipsa voluntas.* Intellige voluntas, non quantum ad suum esse, sed quantum ad actum suum proprium.

11.

Quære in 2. d. 7. Imputabile primum quomodo differt a secundo.

10. An actus sit laudabilis.

(a) De secundo principali, in quo Doctor declarat an actus ab eodem habeat, quod sit laudabilis, sive vituperabilis, sive culpabilis. Et dicit quod aliquid esse laudabile vel vituperabile, imo generalius præmiabile et

Ad actum autem imputabilem secundo modo requiritur potentia alia a voluntate exequens illum actum. Ex hoc sequitur alia differentia, quod uno modo est major contingentia sive indifferentia respectu actus primo modo imputabilis, quia scilicet non requiritur ad illum nisi voluntas, supposita ostensione sufficienti intellectus. Unde per alia posteriora quæcumque impediri non potest ne eliciatur, sed ad actum secundo modo imputabilem, requiritur alia potentia, per cuius impotentiam impeditur potentia ad actum illum; non igitur ex sola indifferentia voluntatis est contingentia ejus, sicut contingentia primi actus. Cum igitur contingentia cuiuslibet alterius causæ vel potentiae in agendo magis recedat a ratione contingentiae simpliciter, quam contingentia voluntatis in causando, sequitur quod simpliciter major est contingentia respectu actus voluntatis primo modo imputabilis quam alterius; pro quanto tamen actus secundo modo imputabilis dependet a pluribus, ex quorum quocumque vel defectu ejus, potest accidere ne ille effectus eveniat; potest dici effectus ille magis contingens, vel magis proprie, multiplicius contingens.

COMMENTARIUS.

punibile, continentur sub hoc communi, quod est imputabile, etc. Vult dicere, quod actus ex hoc dicitur imputabilis, quia est in potestate agentis, id est, actus imputatur agenti, vel ad laudem, vel ad vituperium, vel præmium, vel ad pœnam, ex hoc solo, quod est in potestate agentis, quia scilicet agens potest ipsum elicere, vel non elicere; si enim non esset in potestate agentis, non posset sibi imputari, nec ad laudem, nec ad vituperium. Sequitur: *Et licet ad istam potestatem concurrant intellectus et voluntas*, nunquam tamen fertur nisi in præcognitum, vel forte etiam tenendo, quod talis actus sit causatus a voluntate partialiter, et ab intellectu, id est, ab actu intelligendi objectum, sive ab objecto cognito, *tamen illa indifferentia*, qua actus potest elici et non elici, complete est a sola voluntate, quia sola voluntas habet hanc indifferentiam, sive indeterminationem, quod potest eundem actum elicere, *intelligendo divisim*, in sensu, scilicet divisionis, et non compositionis, id est, quod voluntas in eodem instanti quo intelligitur, prout actu elicitive potest ipsum elicere et non elicere, sed divisim, id est, quod in illo instanti quo elicit actum, et quo intelligitur prior actu, potuisset non elicere actum. Et similiter in illo instanti quo actum non elicit, potuit ipsum elicere, ita quod est simpliciter indifferens ad hoc.

Hic tamen adverte, quod actus nunc dicitur esse in potestate voluntatis libere, præcise in illo instanti quo illum elicit, quia in illo instanti quo elicit actum, adhuc intelligitur prior actu elicito, et per consequens in illo instanti quo elicit, potest non elicere.

11.

Sed non est intelligibile quod simul habeat actum elicitum et non elicitum, nec quod simul eliciat, et non eliciat, nec quod conjunctim potest simul elicere, vel non elicere, ita quod possibilitas eliciendi, et non eliciendi possit simul reduci ad actum, scilicet quod simul eliciat et non eliciat, sed bene in eodem instanti quo una possibilitas reducit ad actum, potuit alia reduci, si prima non reduceretur. Et de hoc vide prolixè Doctorem in primo, dist. 39. et quæ ibi clare exposui, et aliquid in secundo, dist. 25. Dicit ergo Doctor: *Ista, inquam, indifferentia, vel indeterminatio ad alteram partem non potest complete reduci, nisi in ipsam voluntatem, quia quæcumque alia potentia activa est naturaliter activa, et ita determinate unius, quantum est de se, id est, unius partis contradictionis.* Agens enim per modum naturæ dicitur præcise determinari ad unum effectum, sive numero, sive specie, sed dicitur determinari ad alteram partem contradictionis, sic, quod utraque pars non est in potestate ejus, puta quod ignis approximatus passo posset ipsum calefacere et non calefacere, quia sic determinatur ad calefaciendum, quod amoto omni impedimento de necessitate calefacit; sed non est sic de agente libero, quia tale sic est circa objectum volibile, quod amoto omni impedimento, potest ipsum velle, et non velle, ita quod in illo instanti quæ elicit actum volendi, potest non elicere actum volendi, sic quod tale agens ex semetipso potest se determinare ad alteram partem contradictionis, ut patet 9. *Metaphys. text. com.* 10. aliter simul ageret contraria.

Si enim voluntas esset indeterminata ad velle et nolle circa idem, nec quod conjunctim posset elicere vel non elicere, ita quod possibilitas eliciendi et non eliciendi possit simul reduci ad actum circa idem objectum, vel ad velle et non velle, sive ad nolle et non nolle, et non esset in potestate sua se determinare ad alteram partem, tunc simul vellet objectum et nollet, vel simul vellet et objectum, et non vellet.

Sequitur: *Quia igitur actus ejus sic determinate est in ejus potestate, supposita tamen intellectione, ideo talis actus per se est imputabilis agenti,* vel ad laudem, vel ad vituperium, vel ad præmium, vel ad pœnam. Unde Augustinus secundo de libero arbitrio: *Satis compertum est,* etc. Dicit ergo, quod si talis motus, vel actus deputatur culpæ, id est, sit imputabilis agenti ad culpam, talis, inquam, motus non est naturalis, sed voluntarius, quia si actus esset productus per modum naturæ, et necessario non posset agenti imputari ad culpam, sed si imputatur ad culpam, vel ad laudem, erit voluntarie productus. Sequitur: *In illa auctoritate Augustini.* Motus (inquam) quo voluntas convertitur, nisi esset voluntarius, etc. ut satis patet supra questione decima sexta, et in secundo, distinctione trigesima septima; et sic patet quomodo imputabile ad laudem, sive ad culpam est in potestate agentis, ita quod imputabile duos respectus importat: *unum ad potestatem, sive dominium agentis, ut scilicet libere sit in plena potestate ipsius agentis; et alium respectum importat ad aliquid correspondens actui vel agenti secundum justitiam, et hoc propter ipsum actum, ita*

12.

Actus neuter est in potestate agentis.

Imputabile duos respectus importat.

13.

quod agenti per actum, qui est in potestate sua, imputatur laus, vel vituperium. Et addit, quod *secundus respectus sequitur ad primum*, quia enim iste est dominus sui actus, ideo actui et agenti debetur aliquid propter actum, puta laus vel vituperium vel præmium, vel pœna. Sequitur:

Primus respectus, scilicet quem actus importat ad agens, manet non variatus per se in actu bono, vel malo, quia tam actus bonus quam malus non potest dici bonus, vel malus, nisi quia est in potestate agentis. Sed secundus respectus ipsius actus variatur, non quidem formaliter secundum bonum, vel malum, sed præsupposita differentia boni, vel mali, etc. Variatur penes aliqua correspondentia ipsi et illi, quia aliud et aliud correspondet, nam actui bono moraliter correspondet, laus vel præmium, et actui malo moraliter correspondet vituperium, vel pœna; et sic actus bonus moraliter imputatur agenti ad laudem, vel ad præmium, et actus malus moraliter imputatur agenti ad vituperium et ad pœnam. Sequitur: *Actus autem neuter vel indifferens, qui scilicet, nec est moraliter bonus, nec etiam moraliter malus, ut supra exposui quæst.*

17. *talis actus, si est in potestate agentis, adhuc erit imputabilis, vel ut quodammodo vituperabilis, id est, dicitur talis actus imputari agenti ad vituperium, ex hoc quod potuit illum ordinate elicere, et sibi dare retributionem, qua esset moraliter bonus, vel si non sit imputabilis ad vituperium, saltem potest dici ut non laudabilis imputari, et hoc propter defectum ejus, scilicet agentis, qui potuit talem actum laudabiliter egisse.*

14.

(b) *Ex hoc patet, quod non ab eo-*

*dem formaliter est actus bonus bonitate morali, et imputabilis, quia actus esse bonum moraliter habet ex convenientia regulam, scilicet ad dictamen rectum, sive ad prudentiam, ita quod dicitur bonus moraliter, quia conformiter elicitor dictamini recto, ut supra patuit art. 1. et actus dicitur imputabilis ex hoc quod est in libera potestate agentis, ut dixi supra. Sequitur: *Laudabile autem, et vituperabile ambo ista important, scilicet quod actus laudabilis importat quod sit conformis dictamini recto, et quod sit in libera potestate agentis; et actus vituperabilis importat quod sit difformis dictamini recto, et quod sit in potestate agentis, quia licet laudabile et vituperabile formaliter dicant hoc quod est imputabile, cum determinatione illius ad quod est imputabile, id est, quod laudabile non dicit præcise imputabile, quia potest esse ad laudem et ad vituperium; sed dicitur imputabile cum determinatione, formaliter dicitur imputabile ad laudem, vel ad præmium; et vituperabile dicitur formaliter imputabile ad vituperium, vel ad pœnam. Licet ergo dicant formaliter imputabile cum determinatione, etc. tamen materialiter connotant illud propter quod ipsum est ad hoc imputabile, scilicet laudabile connotat bonitatem moralem, propter quam actus est imputabilis agenti ad præmium; et vituperabile connotat malitiam, propter quam actus est imputabilis agenti ad pœnam.**

(c) *De imputabili tamen distingui potest.* Dicit Doctor quod imputabile potest dupliciter accipi, sicut etiam actus voluntatis potest dupliciter accipi: Uno modo pro actu voluntatis elicito; alio modo pro actu voluntatis

Nota.

15.

Imputabile potest dupliciter accipi:

imperato in aliis potentiis. Loquendo ergo de actu elicto voluntatis, dicit quod omnis talis actus, cum sit in potestate voluntatis, est imputabilis, vel ad laudem et præmium, si est elicited conformiter regulæ rectæ; vel ad vituperium et ad pœnam, si est elicited difformiter regulæ rectæ; vel non ad laudem, si est indifferens, puta si est elicited a voluntate, nec conformiter, nec difformiter regulæ rectæ. Et actus voluntatis elicited est magis in potestate voluntatis, quam actus imperatus, quia ad eliciendum talem actum, voluntas nihil præsупponit, nisi cognitionem objecti, cum quis elicited actum. Sed executio actus imperati dependet a potentia sensitiva, quæ agit per modum naturæ, et aliquando actus imperatus in potentia sensitiva potest impediri in potentia ad actum illum ne eliciatur.

Nota etiam, quod sicut actus voluntatis elicited est per se primo bonus, vel malus moraliter, ut patet a Doctore *quæst. ult. prologi, et in 2. dist. 42. et in tertio, dist. 33.* ita est per se primo imputabilis formaliter, et sic actus imperatus in aliis potentiis a voluntate est tantum materialiter bonus, vel malus, ut patet a Doctore *in 2. dist. 42. et in tertio, distinct. 33.* ideo non per se primo, nec formaliter, sed secundario, et materialiter dicitur imputabilis. Et ratio est, quia virtus vel malitia, formaliter est ab actu voluntatis elicto, ut patet, etc.

SCHOLIUM.

Resolvit in actu externo esse bonitatem distinctam a bonitate actus interni; ita Doctores citati post titulum quæst. Probat primo ex Augustino; secundo, quia actus externus habet

integritatem sibi convenientium, distinctam ab illa, quæ convenit interno. Adducit oppositam sententiæ argumenta, et solvit solidissime et clarissime.

De tertio principali primo potest dici, quod actus exterior scilicet imperatus, habet bonitatem moralem propriam aliquam aliam, quam actus interior elicited; et secundo videbitur, qualiter habet vel non habet propriam imputabilitatem. Primum probatur dupliciter, primo per Augustinum 3. de Trin. cap. 3. vel 14. *Mala voluntate, vel sola quilibet miser efficitur, sed miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis impletur, profecto quamvis et sic male volendo miser esset; minus tamen esset, si nihil eorum, quæ perperam voluisset, habere potuisset.* Patens est, quod hoc non potest intelligi de miseria pœnæ, quia desiderans, et non potens habere quod desiderat, plus habet de pœna, quam ille, cujus desideria implentur; intelligitur igitur de miseria culpæ; actus igitur malus exterior addit ad miseriam culpæ, quæ præfuit in actu interiori malo.

Secundo probatur (e) idem per rationem. Ex primo articulo habetur, quod bonitas moralis est integritas eorum, quæ secundum rectam rationem operantis dicuntur debere convenire ipsi actui. Est autem alia integritas eorum, quæ secundum dictamen rectæ rationis debet convenire actui interiori, et eorum quæ actui exteriori; igitur et alia bonitas moralis, et per consequens alia malitia moralis, et hoc sive privativa tantum, quia alia carentia eorum, quæ debent convenire, sive contraria, quia alia dis-

12.

Quære in fonte. Vide Boet. 4. de Consol. prosa 4. 9. Metaph. 1. c. 9.

convenientia repugnans illis quæ debent convenire. Probatio minoris: Recta ratio non dictat actui convenire debere, quod impossibile est sibi convenire; nunc autem actui exteriori impossibile est convenire illud quod convenit actui interiori, vel convenire potest; et hoc intelligendo de utroque actu ut in *esse* reali, et de eo quod sibi convenit, ut in tali *esse*; licet enim actui exteriori in quantum est objectum volitum, et non ut actu elicto, posset aliquo modo competere denominative, denominatione quadam exteriori, illud quod convenit actui interiori realiter; non tamen idem, eodem modo convenit illi et isti, quia etiam potentia operativæ non sunt capaces ejusdem actus; imo nec ejusdem rationis, nec per consequens actus illi essent capaces convenientiæ ejusdem rationis, vel ad minus quod sufficit ad propositum, poterunt habere convenientiam aliam et aliam. Et per hoc patet ad aliquas instantias contra prædicta.

13. Contra (f) ista instatur, primo, quia eadem est veritas actus intelligendi, et ipsius objecti intellecti; igitur pari ratione eadem est bonitas actus volendi et objecti voliti. Antecedens videtur manifestum in exemplis, quia sicut veritas principii est immediata, sic notitia ejus potest dici immediata, et conclusionis mediata. Similiter notitia principii est ex terminis, et conclusionis ex principiis, sic istis competit veritas.

Confirmatur idem, quia ubi unum propter alterum, ibi tantum unum; sed actus exterior non habet bonita-

tem, nisi tantum propter bonitatem actus interioris; igitur non est ibi alia et alia bonitas.

Præterea, peccatum (secundum Anselmum *de Conceptu virginali*) est carentia justitiæ debitæ; non est autem in actu interiori et exteriori nisi una justitiæ debitæ carentia, quia justitia vel injustitia, secundum ipsum non est nata esse, nisi in voluntate.

Præterea, ubi est una aversio et una libido, ibi videtur esse una ratio formalis peccati; sed in actu interiori et exteriori non est nisi una aversio, quia voluntas est illa potentia, cujus solius est averti a fine sicut converti ad finem; libido etiam, quæ aliquando vocatur ab Augustino cupiditas, ut 83. q. q. 36. *est proprie venenum charitatis*, igitur inest proprie illi potentia, cui nata est charitas inesse; hæc est voluntas sola.

(g) Ad primum esto quod eadem veritas, quæ est ipsius actus intelligendi formaliter sit quodam alio modo, scilicet objective, ipsius objecti intellecti, et hoc in quantum objectum habet *esse* in ipso intellectu; et consimiliter bonitas, quæ est formaliter actus volendi, sit quodammodo denominative ipsius objecti voliti, in quantum volitum est; tamen actus ille bene potest habere aliquam bonitatem propriam, in quantum positus in *esse* reali extra voluntatem, sicut in *esse* suo reali habet propriam convenientiam debitam, vel disconvenientiam.

Ad confirmationem (h), illa potest deduci ad oppositum, quia si actus exterior habet convenientiam ad regulam suam per actum interiorum,

Lib. 1. c. 27. idem habet de casu diaboli c. 5. et 16. et alibi.

Vide notanter in fonte illud cap.

Bonitas actus quomodo objecti.

al. Confirmatio.

sive mediante actu interiori ; igitur habet aliam quam actus interior, quia idem non est causa, nec etiam medium respectu suiipsius, nec etiam est causa, vel ratio mediandi respectu suiipsius.

Exemplum hujus habetur in actibus intellectus ; conclusio enim, licet habeat veritatem a principio, tamen habet propriam veritatem, quia propriam conformitatem ejus, quod affirmatur ad existentiam rei, et ad ipsos terminos proprios conclusionis. Non enim conclusio est vera formaliter veritate principii, sed est vera veritate mediata et determinata, et ita habet veritatem determinabilem.

Consimiliter multæ conclusiones sequentes ordinate ex eodem principio habent veritates proprias distinctas, et forte prior est verior, et magis necessaria, quia in necessitate sua non dependet a posteriori, sed e converso.

Consimiliter conclusiones falsæ repugnantes eidem vero habent proprias falsitates, quia proprias inconvenientias ejus, quod enuntiatur ad illud quod est in re.

Consimiliter de actibus voluntatis, non solus actus volendi natus est habere convenientiam, vel inconvenientiam propriam ad dictamen rectum, sed actus imperatus natus est mediante illo habere convenientiam et conformitatem, et licet idem sit, cui debet conformari actus iste et ille, tamen ea quæ conformantur, sunt diversa. et ideo habent ex parte sui diversas, conformitates, sive convenientias, licet ad idem.

Si dicas, quod veritas non convenit alicui extra intellectum, sed tan-

tum actui intellectus, vel objecto, ut est in intellectu ; igitur a simili, bonitas non convenit actui exteriori, ut exterius elicit, seu præcise, ut objecto actus volendi.

Respondeo, consequentia negari posset juxta illud 6. Metaphys. in fine : *Non est falsum et verum in rebus, ut quod quidem bonum verum, quod autem malum falsum, sed in mente.*

Aliter posset negari antecedens, quia si intellectus aliquis sit regula intellecti, sicut est de intellectu divino exemplante et regulante creaturam, illud potest dici verum, non tantum, ut est actu cognitum, sed etiam ut est in se, quia (i) secundum esse suum in se est exemplatum et conforme exemplari.

Ad aliud dico (k) quod justitia potest accipi uno modo, prout est rectitudo habitualis, sive habitus voluntatis, et ab illa dicitur voluntas recta habitualiter, etiam quando nihil vult actu ; et sic dicitur dormiens justus, qui habet habitum, et alius injustus, qui caret isto habitu, vel habeat injustitiam contrariam. Alio modo potest accipi rectitudo pro rectitudine actuali, sive in actu, quæ est conformitas actus eliciti ad suam regulam. Primum membrum distinctionis conceditur satis communiter ; secundum probatur, quia actus non dicitur formaliter rectus, vel justus ab illa justitia habituali in voluntate, quia stante illa potest haberi actus peccati venialis, vel actus indifferens, quorum neuter est actus justus, nec rectus, sed oportet quod rectitudo, qua formaliter actus dicitur rectus, præcise insit, dum actus inest, imo forte non inest im-

Text. 8.
Non est verum vel falsum in rebus.

Justitia alia habitualis, alia actualis.

mediate voluntati, sed ipsi actui, et mediante illo voluntati, quia voluntas nata est immediate recipere habitum et operationem ; justitia autem actualis neutrum horum est, sed tantum est conditio quædam ipsius actus, puta conformitas ejus propria ad suam regulam.

16. Istud autem esset manifestius, si actus non esset raptim transiens, sed idem aliquandiu manens, quia sicut motus pro parte sui potest esse velox, et idem numero et specie pro secunda parte sui tardus, ex quo sequitur quod nec velocitas, nec tarditas omnino sunt idem motui, ita posset actus prius elici conformiter regulæ rectæ, et idem actus continuatus etiam posset elici postea, non conformiter illi regulæ, et ita esset actus pro priori parte rectus, et pro posteriori non rectus. Sed quia actus raptim transit, vel si manet, manet communiter cum eo sua rectitudo, nec idem manens mutatur a recto in non rectum, nec sibi recto pro priori parte succedit alia pars non recta, ideo non ita manifesta est differentia actus et suæ rectitudinis ; concluditur tamen ista differentia modis prædictis, et per hoc etiam quod relatio non consequens necessario naturam fundamenti, non est omnino eadem fundamento, nunc autem rectitudo non necessario consequitur naturam actus. Justitia etiam actualis, etsi primaria sit præcise in actu volendi, tamen secunda, vel secundaria, potest esse in actu imperato per actum volendi, quia et ille habet rectitudinem propriam, licet dependentem a rectitudine actus volendi.

Quando igitur dicitur, quod justitia

non est nisi in voluntate, verum est de justitia habituali, quæ est rectitudo propter se servata, ut definit Anselmus, servatum enim convenit habitui, vel magis extendendo ; verum est de justitia actuali primaria, quia voluntas illam propter se servat, hoc est, tenet in actu suo, quem illa justitia rectum elicit. Si autem sit sermo de justitia actuali secundaria, illam oportet dicere esse voluntatis non subjective, sed causaliter tantum, et ita adhuc de ista potest aliquantulum salvari definitio illa justitiæ, quia illa est rectitudo voluntatis, non ut voluntati formaliter inhærens, sed voluntatis, ut causæ, vel imperantis, est etiam propter se servata, tanquam effectus voluntarie positus.

COMMENTARIUS.

(q) De tertio principali, (quod actus dilectionis naturalis et meritorie non differunt specie, et hoc loquendo de per se differentia, quam important per se ratio naturalis, et ratio meritorii, non autem per accidens de differentia, scilicet aliqua concomitante, puta differentia objectorum, vel aliqua tali, intelligendo etiam de differentia actus specifica.) Nunc Doctor declarat principale intentum, scilicet quomodo actus exterior imperatus a voluntate habet bonitatem moralem propriam aliam ab illa, quam habet actus elicited, et similiter habet propriam malitiam. Secundo declaratur, quomodo actus exterior bonus, vel malus non habet propriam imputabilitatem.

De primo probat auctoritate et ratione, quomodo actus exterior impera-

16.

Actus dilectionis naturalis et meritorie non differunt specie.

De lib. arbit. cap. 3.

tus habet propriam bonitatem vel malitiam, aliam a bonitate vel malitia actus interioris eliciti. Auctoritas Augustini patet in littera.

Quæ sit
bonitas
moralis.

(e) *Secundo probatur* ratione, supponendo quod dictum est in primo articulo, quod bonitas moralis est integritas eorum, quæ secundum rectam rationem operantis dictantur debere convenire ipsi actui, tunc sic: Quicumque actus formaliter habent aliam et aliam integritatem supradictam, habent aliam et aliam bonitatem moralem, cum bonitas moralis sit talis integritas sed actus exterior imperatus secundum dictamen rectum, sive secundum rectam rationem, habet aliam integritatem ab integritate actus eliciti. Probat minor, quia *recta ratio non dicit actui convenire debere, quod impossibile est sibi convenire, etc. non tamen idem eodem modo convenit illi et isti*, quia bonitas moralis convenit formaliter et intrinsece actui interiori, et tantum extrinsece actui exteriori, pro quanto actus talis est volitus, sicut etiam objectum cognitum ab intellectu divino, puta lapis, dicitur æternus denominatione extrinseca, quia intellectio divina, qua lapis intelligitur, est formaliter vita æterna. Sic in proposito, quia actus elicitus a voluntate formaliter bonus, quo voluntas vult actum exteriorem, talis actus exterior denominatione extrinseca dicitur bonus moraliter, quia tantum bonitate morali formaliter inexistente actui interiori, tamen actus exterior denominatione intrinseca habet aliam integritatem sibi convenientem, qua dicitur moraliter bonus. Et hoc patet, quia potentia operativæ, scilicet exterior et interior non sunt capaces ejusdem actus, imo nec ejusdem rationis, nec per

consequens actus illi erunt capaces convenientiæ ejusdem rationis. Si dicatur, quod quamvis illi actus sint alterius rationis, tamen convenientiæ, sive integritates, quibus dicuntur boni moraliter sunt ejusdem rationis. Dicit Doctor quod hoc etiam concessio, actus exterior saltem habebit aliam convenientiam et integritatem numero distinctam ab illa, quæ convenit actui interiori, et hoc sufficit ad propositum.

(f) *Contra ista instatur.* Nunc Doctor tribus mediis instat, probando quod actus exterior non habeat aliam bonitatem a bonitate actus interioris, et arguit sic: *Primo eadem est veritas actus intelligendi, et ipsius objecti intellecti*; patet, quia sicut veritas principii est immediata, sic notitia talis principii erit immediata; et similiter sicut veritas conclusionis est mediata, puta notitia ejusdem conclusionis erit mediata, sive veritas mediata, et sic patet antecedens; ergo pari ratione eadem est bonitas actus volendi, et objecti voliti. Cum ergo voluntas actu elicitio conformi rectæ rationi velit actum exteriorem, ita quod actus exterior habet rationem objecti voliti, et non est bonus moraliter, nisi quia sic volitus, et per consequens eadem erit bonitas moralis actus volendi, et objecti voliti, scilicet actus exterioris.

(g) *Ad primum.* Respondet Doctor primo, quod posito quod veritas actus intelligendi, quæ est formaliter ipsius actus intelligendi, etc. Vult dicere, quod veritas actus intelligendi, quæ est conformitas ipsius actus ad objectum intellectum, talis conformitas, sive veritas, denominat formaliter et intrinsece ipsum actum intelligendi,

17.

et quia talis actus fit conformis, terminatur ad objectum cognitum objective, et denominatione extrinseca denominat ipsum objectum, sicut visio denominat formaliter ipsam potentiam visivam, et objective, sive denominative denominatione extrinseca denominat objectum, scilicet colorem, cum dicitur color visus. Sic in proposito potest concedi quod eadem bonitas moralis denominat actum volendi, et objectum volitum, ut volitum, scilicet actum exteriorem, ut volitum; tamen alio modo denominat actum interiorem, scilicet actum volendi, scilicet denominatione intrinseca, et formaliter, et actum exteriorem tantum objective, sive terminative, sive denominatione extrinseca, loquendo semper de actu exteriori, ut præcise volito, qui potest habere esse volitum, sive actu existat, sive non existat; loquendo tamen de actu exteriori in esse reali, talis actus habet aliam convenientiam ad rationem rectam, ideo enim præcise et formaliter est eadem conformitas, sive convenientia actus interioris et exterioris ad rationem rectam, ut supra patuit.

18.

(h) *Ad confirmationem,* dicit Doctor quod illa confirmatio est ad oppositum, quia si actus exterior habet conformitatem ad rationem rectam propter conformitatem actus interioris ad rationem rectam, sequitur quod habet aliam conformitatem et propriam, quia conformitas actus interioris ad rationem rectam formaliter et immediate sibi inest, hoc est, non mediante aliquo alio actu, sed conformitas actus exterioris formaliter, et tantum mediate, quia tantum mediante actu interiori conformi sibi inest, et per consequens illa propositio est neganda,

vel exponenda, scilicet quod ubi unum propter aliud, ibi unum tantum. Si ergo actus exterior habet bonitatem propter actum interiorem, sequitur quod habebit aliam, quia si esset simpliciter eadem, tunc eadem esset causa suiipsius; patet, quia bonitas mediata suo modo est causata ab immediata, et si tam mediata quam immediata est tantum una, tunc idem est causa suiipsius, vel si non ponitur causa, sed tantum medium respectu bonitatis exterioris, ita quod bonitas actus interioris mediata inter rationem rectam, et bonitatem actus exterioris, tunc si est eadem bonitas, sequitur quod idem erit medium respectu suiipsius, vel ratio mediandi respectu suiipsius, quod est impossibile, et ponit multa exempla, quibus ostendit, quando aliquid est tale propter aliud, puta bonum propter aliud, quod habebit propriam bonitatem, et aliam; patet in actibus intellectus, qualicet conclusio sit vera propter veritatem principii, tamen habet propriam veritatem, quia propriam conformitatem ejus, quod affirmatur ad existentiam rei, et ad ipsos terminos proprios conclusionis. Nam ista conclusio, *homo est risibilis*, habet propriam conformitatem, scilicet prædicati, quod affirmatur de subjecto ad existentiam rei, id est, quia tale prædicatum dicitur de tali subjecto, sicut in re risibile convenit homini. Habet etiam propriam conformitatem ad terminos proprios, quia sicut oratio habet alios et alios terminos, ita habet aliam et aliam conformitatem; non enim conclusio est vera formaliter veritate principii, sed est vera veritate mediata et demonstrata, et principium est verum veritate immediata,

et indemonstrabili, et per hoc exemplum patent etiam alia exempla sequentia.

19. (i) *Secundum esse suum in se est exemplatum, et conforme exemplari*, puta, quia lapis sic est in re, sicut intelligitur ab intellectu divino, et tunc est veritas lapidis exemplati ad suum exemplar, quod est intellectus divinus, vel actus intellectus divini, vel *esse* cognitum ipsius lapidis, quod circa cognitum est idea lapidis, sive exemplar ipsius, secundum quod exemplar producit lapidem in *esse* reali, de quo vide Doctorem in *primo, dist. 35.* non quod sit idea respectu actualis existentiae, quia idea non ponitur respectu contingentis, ut probat Doctor in *primo, dist. 39.* sed ponitur praecise respectu entis in *esse* possibili, vel objectivo, puta idea hominis est *esse* cognitum ipsius hominis in suo *esse* quidditativo, et tunc voluntas divina contingenter producit hominem in vero *esse* reali, sicut in suo *esse* objectivo relucet in propria idea, sive in proprio *esse* cognito, ita quod idea, sive *esse* cognitum hominis terminatur ad *esse* quidditativum hominis, quod est ens possibile produci in *esse* reali; et sic patet quomodo veritas, sive conformitas, quae est exemplati ad exemplar immediate fundatur in ipso exemplante, non ut praecise cognito, sed ut habente *esse* absolutum.

Secundo principaliter arguit, quia sicut non est alia malitia actus interioris et exterioris, ita non est alia bonitas; patet de malitia, quae formaliter est tantum carentia iustitiae debita, secundum Anselmum de *Conceptu virgin. lib. 1. c. 7.* ergo iustitia debita actui, quae est rectitudo actus, est tantum in actu voluntatis, et in-

iustitia, quae est carentia talis rectitudinis, erit praecise in actu voluntatis.

(k) *Ad aliud.* Respondet Doctor distinguendo de iustitia habituali et actuali; habitualis est habitus virtutis, ita quod accipitur hic *iustitia habitualis*, non pro iustitia habituali proprie sumpta, quae est virtus ad alterum, de qua quinto *Ethicorum*, quae dividitur in iustitiam habitualement punitivam et praemiativam, quae iustitia habitualis habet sub se multas species, de qua vide Doctorem in *tertio, dist. 34. et in 4. d. 14. quæst. 2.* Sed loquitur hic de iustitia habituali, accipiendo iustitiam habitualement pro omni habitu virtutis moralis naturaliter acquisito. Accipitur etiam a Doctore iustitia habitualis pro habitu supernaturali, scilicet pro charitate, de qua patet a Doctore in *2. dist. 6. quæst. 2.* et specialiter in *4. d. 14. quæst. 14.* Aliquando accipitur pro iustitia originali habituali, quae etiam dicitur habitus supernaturalis, ut patet a Doctore in *2. d. 29.* Sed hic in proposito accipit iustitiam habitualement omnibus modis supradictis. Iustitia vero actualis est tantum rectitudo actus, quae rectitudo nihil aliud est nisi quaedam conformitas, vel ad rectam rationem naturalem, vel ad rectam rationem supernaturalem, de quibus regulis vide Doctorem in *4. dist. 14. quæst. 2.* et actus per talem rectitudinem, sive conformitatem dicitur moraliter bonus, ita quod talis conformitas, quae est iustitia actualis, immediate fundatur in actu, ut patet a Doctore hic, et in *2. dist. 34. et 37. et in 4. dist. 14. quæst. 1.* Sed iustitia habitualis immediate fundatur in voluntate.

Nota etiam, quod duplex est rectitudo actus actualis: Una tantum na-

Duplex
iustitia.

Quae sit
iustitia ac-
tualis.

20.
Duplex rec-
titudo.

turalis et in se, et quantum ad regulam, ut omnis rectitudo actus, quae praecise est secundum dictamen naturalis. Alia potest dici supernaturalis, non quod insit actui supernaturali, sed quia inest a regula supernaturaliter acquisita, ut cum quis elicit actum dilectionis Trinitatis conformem fidei infusae, quae dicat Deum esse diligendum, inquantum est trinus et unus. Dicitur et aliquando rectitudo supernaturalis, et dispositive meritoria, ut quando actus est a charitate, si tamen charitas producit in actu aliquam realitatem, quae sit dispositio ad hoc, ut actus acceptetur ad primum, ut videtur probabile, ut supra patuit *quæst. 17.* Et rectitudo supernaturalis istis duobus modis, licet sit naturaliter causata, et quantum ad huiusmodi causationem possit dici naturalis, tamen quia est ab habitu supernaturaliter causato, potest dici supernaturalis. Est etiam rectitudo mere supernaturalis, improprie tamen, qualis est acceptatio passiva, qua actus acceptatur a divina voluntate in ordine ad primum æternum. Sed in proposito non accipitur rectitudo actus ultimo et penultimo modis, sed bene aliis mediis.

Nota etiam, quod rectitudo actus est duplex, quaedam est praeccepta, vel praeccepto divino, vel praeccepto legis naturae. Exemplum primi: honorare parentes loco et tempore, et instante necessitate est actus praecceptus, ita quod oppositum faciens peccat mortaliter. Exemplum secundi: colere Deum est praecceptum legis naturae strictae sumptum, ut patet a Doctore in *tertio dist. 32.* Alia rectitudo non est praeccepta, sicut vovere castitatem non est praecceptum, sed tantum consilium.

Adverte etiam, quod proprie loquendo, privatio rectitudinis praecceptae debere inesse actui semper est peccatum mortale. Aliquando est peccatum veniale, quando talis rectitudo non est praeccepta debere inesse. Aliquando rectitudo actus non est praeccepta debere inesse actui, et tamen privatio rectitudinis, puta orare amore Dei cum aliis circumstantiis non semper obligat, et tamen si orem propter inanem gloriam primo et principaliter, erit peccatum mortale, quia etsi ista circumstantia, scilicet *amore Dei* non semper sit praeccepta, tamen circumstantia opposita contraria, quae est alius finis, est simpliciter prohibita. Multa alia possent dici, quae brevitas causa transeo.

Ad propositum applicando, dico quod si accipiat iustitia habitualis pro habitu morali, sive pro habitu supernaturali, et hoc formaliter loquendo, dico quod sicut talis iustitia est formaliter in voluntate, ita et privatio talis habitus erit formaliter in voluntate, quia privative opposita nata sunt inesse eidem successive. Injustitia vero actualis, quae est carentia rectitudinis, opponitur privative iustitiae actuali, et sicut talis rectitudo actualis immediate fundatur in actu, ita injustitia actualis, et carentia rectitudinis actualis immediate fundatur in actu, et mediate in potentia, cujus est actus. Sic ergo actus exterior potest esse rectus formaliter, id est, potest habere rectitudinem propriam sibi formaliter inherenter, quae dicitur iustitia actualis, ita potest habere carentiam talis rectitudinis, quae dicitur injustitia actualis; et sic actus rectus, sive exterior, sive interior non dicitur rectus formaliter a iustitia habituali. Potest

21.

Injustitia
actualis
quid.

enim esse rectus, etiam quod non sit ab aliquo habitu generatus, ut patet a Doctore *in primo*, d. 17. *et in quarto*, dist. 14. q. 2. et dicit hic, quod *stante iustitia habituali, potest haberi actus peccati venialis, vel actus indifferens*. Hic specialiter loquitur de iustitia, quæ est charitas, cum qua stat actus indifferens, qui scilicet nec est formaliter malus, nec formaliter bonus; et similiter actus peccati venialis, ut patet a Doctore *supra* q. 17. et in 1. d. 17. Dicit etiam, quod idem actus manens sive continuatus per horam, si est rectus, quamdiu manet ejus rectitudo manet, ita quod idem actus manens non potest mutari a recto in non rectum; patet, quia rectitudo non posset inesse, nisi per alium actum, cui præcise inesset talis rectitudo; nec simpliciter actui recto continuato per horam potest inesse rectitudo pro una parte, puta priori, puta pro medietate horæ, et pro alia parte non rectitudo, quia (ut dixi) non posset fieri non rectus, nisi mediante alio actu cui rectitudo inesset; et hoc patet a Doctore *in 2. dist.* 28. ubi dicit, quod quando quis actu vitat peccatum, pro toto illo tempore quo vitat peccatum, non potest peccare, quia non posset peccare nisi per alium actum.

SCHOLIUM.

Ponuntur corollaria ex doctrina data. Primum, cum eadem habituali iustitia, plurificari iustitias actuales, quarum una potest esse intensior, alia secundum modum conatus. Secundum, singulos actus malos habere proprias malitias. Tertium, malitias eodem modo differre, quo bonitates oppositæ, de quo 2. dist. 37. q. 1. n. 9. et 4. dist. 30. q. 6. Quartum, qualiter unum est gravius aliis specie et numero, de quo Doct. locis jam citatis, et 2. dist. 21. q. 2. n. 3. Quintum, quomodo peccata in infinitum continuantur in damnatis, quia

non possunt corrumpere naturam intellectualem, quid nonnulli sentiant, de vulneratione naturæ per peccatum, nihil physicum ei auferre potest, sed tantum gratuita. Vide Doct. 2. d. 37. q. 1. n. 4. respondendo ad tertium positum, n. 13. Explicat optime triplicem aversionem ab ultimo fine, quarum ultima tantum potest esse in actu externo. Vide triplicem relationem ad ultimum finem, 2. dist. 41. n. 3. vide etiam de illa aversione 2. d. 43. et d. 37. q. 1. n. 6.

Ex isto sequuntur quædam corollaria, per quæ etiam declaratur propositum.

Unum, quod manente eadem iustitia habituali sunt tot iustitiæ actuales, quot sunt actus eliciti, quarum una potest esse intensior alia, si actus unus cum majori conatu elicitur quam alius, et si habitus maneret æqualis, imo actus prior potest elici cum majori conatu, et tunc habebit iustitiam actualem intensiorem correspondentem intensiori suæ, et secundus actus potest elici cum minori conatu, licet certum sit, quod tunc habitus sit minor.

Aliud, quod singuli actus mali habent proprias malitias actuales, quia sicut nati sunt habere proprias bonitates, quia convenientias vel conformitates, sive eidem regulæ, sive aliis, sic singuli habent proprias carentias.

Aliud, quod malitiæ eo modo differunt, quo bonitates quæ debent inesse; si specie, specie; si numero, numero. Privationes enim distinguuntur sicut habitus natiessent distinguui, puta surditas et cæcitas, suo modo differunt specie privativa, sicut auditus et visus specie positiva, et hæc cæcitas, et illa numero privative sicut hic visus, et ille differunt numero positive.

17.

Manente eadem iustitia habituali possent multiplicari actuales.

de hoc 2 d. 37. q. 2 n. 9. Quomodo differunt peccata?

(1) Et hinc patet, quod non solum distinctio vitiorum Physice loquendo, sed etiam peccatorum Theologice loquendo, et hoc specie et numero, et etiam genere accipi potest, non tantum per distinctionem conversionis, quia illa nec per se constituit, nec etiam distinguit peccatum, ut peccatum; sed accipitur secundum rationem propriam hujus privationis, quæ est formalis ratio distinguendi privative, sicut habitus positive.

scilicet esset ratio formalis distinguendi.

18. Apparet etiam quomodo unum peccatum est gravius alio, sive intelligatur secundum distinctam speciem gravitatis, sive secundum distinctam gravitatem, et in eadem specie, quia actus eo modo quo debet habere bonitatem majorem, sive in specie, sive intentionis in specie, eodem modo, si caret bonitate debita est pejor privative, et si habeat conditionem aliquam positivam repugnantem, est pejor contrarie.

Peccata continuantur in infinitum in damnatis.

Tertio apparet quomodo peccata possunt continuari in infinitum in damnatis, et tamen natura non consumetur, nec habilitas naturalis, sive quodcumque aliud in natura. Nam nulla creata natura potest naturam intellectualem, vel aliquid naturale in ipsa corrumpere, et si posset diminuire, posset aliquando destruere totaliter illam.

Similiter, effectus contingens alicujus causæ non necessario concomitatur suam causam; igitur oppositum talis effectus, vel alicujus conditionis in ipso non destruit, vel diminuit talem causam. Malitia autem in actu est privatio aliqua in illo, quod est effectus contingens

voluntatis; igitur nihil diminuit de ipsa voluntate.

Quid ergo adimit peccatum (m) additum peccato, cum secundum Augustinum in Enchir. *in tantum sit malum, quantum adimit de bonitate?*

Respondeo, malitia actualis in aliquo actu elicito non adimit bonum, quod simul secum inest, patet; nec oportet, quod adimat bonum, quod inest, quia (ut dictum est prius) actus raptim transiens non mutatur de bono in malum.

Si autem intelligatur per bonum, quod inest, habitus gratuitus, qui adimitur peccando, hoc non potest intelligi de quocumque peccato, quia secundum peccatum non adimit illum, quia jam ademptum fuit; nec primum peccatum ex per se ratione sua magis adimit illud, quam secundum, quia tunc peccatum primum esset simpliciter gravius secundo, quia malus bonum adimeret: contingit autem quandoque, quod secundum sit gravius primo, et ita natum esset adimere majus bonum, et ita per se adimit bonum illud actuale, adimeret etiam per se bonum habituale, si inesset. Adimit igitur peccatum generaliter illud quod deberet inesse, sicut in cæco nato cæcitas adimit visum, non qui inest, sed qui debuit inesse, et ita dicit Augustinus 11. *super Gen. de Angelo peccante, quod cecidit non ab eo quod accepit, sed ab eo quod accepisset, si Deo subdi voluisset*, et

Quid adimit peccatum?

Quomodo in bono finito, contineri possint infinita.

finitos effectus successive eliciendos, sic et infinitas rectitudines eorumdem.

(n) Ad aliud de aversione. Aversio a fine potest intelligi actualis nolitio ipsius finis; et patet quod non omnis peccans avertitur isto modo, cum forte frequenter peccans non actualiter consideret finem, vel si considerat, non illum in se ex malitia respicit.

19. Alio modo (o) potest intelligi aversio, non sic formalis, sed quasi virtualis, quod potest poni acceptatio aliqua voluntatis impossibilis volitioni finis, saltem efficaci, vel consecutioni finis, sicut quando voluntas vult omnino aliquid inordinatum, et deordinans a consecutione finis, puta aliquid contra præceptum divinum, sine cujus observatione possibile non est consequi finem; adhuc isto modo intelligendo, aversio est solius voluntatis. Tertio modo largius (p) potest dici aversio, quæcumque malitia separans a fine efficaciter volendo, vel consequendo, et talis malitia potest esse in actu voluntatis imperato, quia cum impetare actum si malum, non stat voluntatem efficaciter velle finem ultimum, nec etiam consequi ipsum.

Sicut igitur referibilitas, vel quasi inordinabilitas ad finem potest dici conversio, sic inordinabilitas potest dici aversio; quando igitur accipitur, quod non est nisi una aversio in actu interiori et exteriori, verum est duobus primis modis intelligendo, imo non est talis aversio nisi in actu interiori, et si sic intelligatur, quod aversio sit formalis ratio in peccato, negandum est, imo sufficit illa inordinabilitas actus imperati,

quæ posset dici aversio tertio modo dicta. Quod etiam additur ibi de libidine, si libido intelligatur esse improba voluntas, hoc est, immoderatum *velle*, libido non est formaliter in omni peccato, sed vel formaliter, vel causaliter concurrens ad peccatum. Si igitur libido, vel cupiditas debet esse convertibile cum peccato, oportet extendere ista non tantum ad actum interiorum voluntatis immoderatum, sed etiam ad actum imperatum.

COMMENTARIUS.

(l) *Et hinc patet quod non solum distinctio vitiorum, philosophice loquendo, quæ vitia formaliter privative opponuntur bonitatibus moralibus traditis a Philosopho, sed et patet distinctio peccatorum, Theologice loquendo, nec dicuntur tantum distingui per distinctionem conversionis, scilicet per aliam et aliam conversionem ad creaturam, ut aliqui dicunt, quia illa nec per se constituit, nec etiam distinguit peccatum ut peccatum. Sed talis distinctio accipitur secundum rationem propriam hujus privationis, quæ est formalis ratio distinguendi unam malitiam ab alia privative, sicut et bonitas opposita est ratio distinguendi positive, et hoc magis patet a Doctore in secundo, dist. 34. Apparet ergo quomodo unum peccatum est gravius alio peccato, quia actus eo modo quo debet habere bonitatem majorem, sive in specie, eodem modo, si caret tali bonitate majori debita, ille actus est pejor privative, et si habeat conditionem aliquam positivam repugnantem illi bonitati, tunc est pejor contrarie.*

An libido sit in actu externo.

22.

Aversio multiplex.

Quomodo unum peccatum est gravius alio?

Apparet etiam quomodo peccata possunt continuari in infinitum in damnatis, nec tamen natura eorum, nec habilitas aliqua corrumpitur, et hoc clare ostensum est in secundo, dist. 34. vide ibi.

(m) *Quid ergo admittit peccatum additum peccato?* Dico ut dicit Doctor in secundo, dist. 34. quod formaliter admittit justitiam actualem, cui formaliter opponitur, non quod adimat illam, sic quod prius infuerit, sed quæ deberet inesse, ut ibi prolixè expositum est.

(n) *Ad aliud de aversione.* Dicit Doctor quod aversio ab ultimo fine potest intelligi vel quod sit actualis aversio, qualis est nolitio finis, sive odium Dei, et dicitur aversio formalis, quia sicut amor Dei immediate et formaliter convertit ad Deum, sic odium Dei immediate avertit a Deo, si tamen tale odium sit possibile; de quo vide Doctorem in 2. dist. 9. q. 1. et d. 45. Loquendo de tali aversione, patet quod est tantum actus voluntatis immediate ab ipsa elicitus.

(o) *Alio modo potest intelligi aversio mediate, sive virtualis, quæ potest poni acceptatio aliqua voluntatis, etc.* Et quomodo hæc aversio dicatur virtualis, vide in 2. d. 35. et isto etiam modo intelligendo aversionem, aversio est actus solius voluntatis.

(p) *Tertio modo largius potest dici aversio, etc.* Et hoc tertio modo aversio potest esse actus alterius potentie imperatus a voluntate, ut actus fornicandi, qui imperatur a voluntate contra præceptum Dei, qui præcipit non fornicari. Et de hujusmodi materia, scilicet conversionis et aversionis, vide prolixè Doctorem in 2. d. 35. et quomodo specialiter potest esse

peccatum in actibus aliarum potentiarum, vide in 2. dist. 42.

SCHOLIUM.

Supposita distinctione imputabilitatis, quam supra explicuit n. 10. dicit actum externum imperatum esse proprie imputabilem, accepto imputabili generaliter pro eo quod est simpliciter in potestate voluntatis, licet mediate, mediante scilicet actu volendi. Instantiam vero contra hoc, adducit ad oppositum ex eo quod actus externus non sit imputabilis, nisi mediante actu interno volendi, bene sequitur, quod sit alia imputabilitas illius, et alia hujus, cum nihil possit esse medium respectu sui ipsius. Præterea sunt ibi diversa fundamenta, et consequenter diversi respectus, esto terminus sit idem. Respondendo tandem ad argumentum principale positum n. 1. distinguit triplicem acceptionem voluntarii, et dicit actum externum esse voluntarium tertio modo, nimirum quia est in potestate voluntatis; et littera est clara. Vide Doct. in 2. d. 32. n. 14. et in 4. d. 14. q. r. n. 12.

De secundo in isto articulo, scilicet de imputabilitate, patet ex distinctione posita in secundo articulo, si stricte accipiendo, solum illud dicatur imputabile, quod est mediate in potestate voluntatis; patet quod solum *velle* vel *nolle* est imputabile.

Si autem imputabile generaliter dicatur illud, quod est simpliciter in potestate voluntatis, sic actus imperatus proprie est imputabilis, quia etsi non sit immediate in potestate voluntatis, est tamen mediante actu volendi, qui actus non solum secundum se est in potestate voluntatis, sed etiam ut principium actus exterioris, quia voluntas potest per interiorem ponere illum exteriorem. Exemplum, servus ex præcepto domini occidit, illa occisio imputatur domino, quia in potestate sua erat actus servi, licet mediate.

20.

Actus imperatus vere imputabilis.

Et si arguitur, sicut prius, quod ille non est imputabilis nisi mediante isto.

Imputabi-
litas alia
interni,
alia externi
actus.

Respondeo, ex hoc sequitur propositum, quod illius et istius est alia imputabilitas; idem enim non est medium, nec ratio mediandi respectu suiipsius, et potest idem declarari, sicut prius de propria bonitate, quia quamquam terminus sit idem, tamen in diversis fundamentis sunt diversi respectus ad eundem terminum; actus ille et iste sunt diversa fundamenta; igitur licet imputabilitas conveniat istis in ordine ad eandem voluntatem, tamen illa erit alia sicut est alia causabilitas, vel aliud subjacere potestati causæ, licet causa sit eadem.

21.
Ad arg. in
initio.
Volunta-
rium tri-
pliciter su-
mitur.

Ad primum argumentum principale, voluntarium potest dici illud, quod est subjective in voluntate, vel illud quod est volitum a voluntate, vel illud quod est imperatum a voluntate. Primum non facit complete, quod aliquid sit voluntarium, quia habitus potest esse in voluntate, et tamen non voluntarie vo-

luntas habet illum, quia tristitia est in voluntate subjective. Secundum dicitur voluntarium participative, quia acceptatio ejus ut objecti, est voluntaria; ipsum enim magis diceretur volitum quam voluntarium; voluntarium enim proprie dicitur, quod est in potestate voluntatis, et sic dicitur tertio modo, et sic actus exterior est voluntarius, sicut actus interior simpliciter, non tamen est æque primo, sed illo præsupposito.

Ad probationem minoris dico, quod licet actus exterior separatus ab actu interiori, hoc est, sine illo positus in *esse*, non sit voluntarius, et hoc, quia effectus remotior non dicitur voluntarius nisi ponatur in *esse* per actum interiorem, qui est effectus propinquior, tamen quando actus exterior conjungitur cum interiori, et ex illo procedit, tunc ille exterior, ut distinctus, habet rationem voluntarii, et distinctam, quia voluntarii mediate; actus autem interior non sic est voluntarius, sed immediate.

ANNIS DUNS SCOTI

CTORIS SUBTILIS, ORDINIS MINORUM

OPERA OMNIA

EDITIO NOVA

EDITIONEM WADDINGI XII TOMOS CONTINENTEM A PATRIBUS FRANCISCANIS
DE OBSERVANTIA ACCURATE RECOGNITA

TOMUS VIGESIMUS SEXTUS

QUÆSTIONES QUODLIBETALES XIV-XXI

CONCILIATIONES. — OPUSCULUM DE CONTRADICTIONIBUS.
DE PERFECTIONE STATUUM.



PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM

VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

MDCCCXCV

CATHOLIC UNIVERSITY OF AMERICA LIBRARIES

W. 11 DC